



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica xx. post pentec.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

superbe exaltauerit in futuro humiliabitur: & qui se in hoc seculo ueraciter propter dominum Christum humiliauerit, in futuro exaltabitur. Sicut ergo inter superbos semper iurgia sunt, sic inter humiles pax & concordia inuiolata conseruatur. Quoniam qui se humiliant in presenti, exaltabuntur in futuro, quando illam desiderabilem uocem audire merebuntur: Euge serue bone & fidelis, quia Mat. 25. super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN, ad Ephesios iij.

**F**ratres, Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominẽ, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. &c]. Hæc uerba Apostoli ex superioribus pendent. nam sic alloquitur Ephesios. inquit: Deponite uos secundum pristinam conuersationem, ueterem hominẽ, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Ac deinde subdit: [Renouamini autem spiritu mentis uestræ.] Pristina conuersatio est peccatum, & in peccatis manere. Vetus autem homo, conuersatio ueteris hominis Adæ: Quicumq; enim in peccato manet, conuersationem ueteris hominis habet. Qui homo (id est, conuersatio illa) corrumpitur & deprauatur secundum desideria errorum & uitiorum. Renouamini, inquit, spũ mentis uestræ. Spiritum & mētem pro uno debemus accipere, secundum beatum Augustinum, id est, pro rationabilitate mētis. Duæ sunt autem renouationes. Vna est subitanea ac momentanea, quæ fit in baptisate, in qua renouamur ab

omnibus peccatis originalibus & actualibus Altera, quæ fit per spatium temporis, & per assiduitatem lectionis, & per operationem bonorum operum, de qua hic dicitur. Dum enim animus ea quotidie per studium lectionis de deo intelligit, quæ antea ignorabat, & dum proficit quotidie de uirtute in uirtutem, quotidie innovatur. Tale est ergo acsi diceret: Estis renouati in baptisate, renouamini quotidie per studium lectionis, ea de deo intelligendo, quæ antea uos latebant, & crescendo de uirtute in uirtutem. Et induite, inquit, nouum hominẽ. Nouum hominem appellat, noui hominis conuersationem, uel ipsum dominum Iesum. Videamus quomodo sit ipse nouus homo, & secundum deum creato. Cõceptus est in utero uirginali opere spiritus sancti, ex semine mulieris sine semine uiri: hoc nouum fuit. Natus est de uirgine, & hoc nouum fuit. Fecit miracula quæ nemo alius fecit. Conuersatus est sine peccato in hoc mundo, uerus deus, & uerus homo. Resurrexit a mortuis: & hæc omnia noua fuerunt & sunt. Secundum deum creatus est in iustitia, quia iustus est. In sanctitate & ueritate, quia sanctus & uerus est. Et non solum iustus, sanctus & uerus, sed insup ipsa iustitia, ipsa sanctitas & ueritas. Quod ergo dicit, Induite nouum hominem, tale est acsi diceret: Induite dñm Iesum Christum, id est, conuersationem noui hominis, & omnes uirtutes quas intelligitis in Christo esse. Quicumq; enim assumit iustitiã, sanctitatẽ, ueritatẽ, sapiẽtiã, charitatẽ, omnesq; uirtutes quæ in Christo cognoscit eẽ, Christũ utiq; induit.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem, unusquisq; cũ proximo suo.]

¶ Quia omne mendacium a diabolo est, qui est mendax, & pater mendacij: quicumque filij ueritatis sunt, debent deponere & abijcere mendaciū, dolositatē & dupliciratem, & loqui ueritatem de animo puro cum omni homine, non solum cum Christiano, uerū etiā cum hæretico & pagano, quia omnes sunt nostri proximi. Et quare debemus loqui ueritatē cum proximo? [quoniam sumus inuicē membra.] Est Christus caput, membra illius sunt electi. Et sicut membra corporis nostri sunt sibi inuicem necessaria, & sibi ministrant inuicem quæ i.e. necessaria sunt. Verbi gratia: Oculus est necessarius manui & pedi, & manus & pes oculotideoque ministrat oculus manui & pedi lumen, manus autē abs tergit illum & lauat a sordibus. Sic in sancta ecclesia prædicator qui libet qui est oculus, debet ministrare lumen scientiæ & prædicationis alijs qui sunt manus & pedes, id est, qui sunt eleemosynarij, & currunt ad sepeliendum mortuum, & qui actiuæ uitæ sunt dediti. Contra illi debent de sua substantia sustentare oculum, id est, prædicatorem, præbentes ei cibum & potum, & ministrantes cetera quæ necessaria illi sunt: quod faciēdo, sibi inuicē erunt membra. Sequitur: Irascimini & nolite peccare. ] Dupliciter possumus hoc intelligere. Si quando peccatis, & a uia rectitudinis diabolo suadente receditis, irascimini uobis metipsis & indignamini, ne amplius talia faciatis, castigando corpus uestrum uigilijs & ieiunijs. Aliter. Etsi, inquit, irascimini, nolite iram perficere. Permittit quidē Apostolus irasci, quod humanum est, sed prohibet uindictam expetere, quod iam non est humanum: quia ira uiri iustitiam dei non operatur. Iac. 1.

Sol non occidat super iracundiam uestram,

Similiter & hoc duplici modo potest intelligi. Dicamus simpliciter: Sol non occidat super iracundiam uestram, id est, si commoti fueritis ad tēpus aduersus proximum, ante solis occasum reconciliamini, & recedat ira a uobis. Aliter: Sol appellatur Christus in scripturis sacris, ut ibi: Vobis timētibz nomē meum, orietur sol iustitię. Qui sol plerunq; propter iram quę uindictam expetit, & ppter discordiam, occidit uobis: id est, recedit a uobis, sicut occidit falsis prophetis, de quibz dicitur: Occidit eis sol, cū adhuc media esset dies. [Sol non occidat sup iracūdiam uestram,] id est, caute ne propter uestram iram & propter uestrum peccatum, recedat sol iustitię Christus a uobis.

Mal. 4.

Ier. 15.

Nolite locū dare diabolo, id est, nolite uindictā expetere, neq; irasci ultra modū, ne recedat sol a uobis Christus, & adueniat diabolus princeps tenebrarum. Quandocunq; em peccamus, locum damus diabolo in nobis. [Qui furabatur] bona aliorum, [iam nō furetur.] Vel qui furabatur uerba & doctrinam euangelij per hęreticam prauitatem, sicut propheta falsi, qui furabantur sibi uerba, de quibus dicitur. Vidēt uana & diuinant mendacium, dicentes: Hęc dicit dñs, cum dñs non miserit eos: iā nō furetur, sed recedat ab errore suo.

Ier. 15.

Magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Ille qui ante furabatur, non solum debet a furto cessare, sed debet operari manibus suis, ut habeat unde sustentet alios inopem patientes.

POST PENTECOSTEN. 379  
DOMINICA. XX. POST PEN  
tecosten. Matth. IX.

In illo tempore Ascendens Iesus in nauicu  
lam, transfretauit, & uenit in ciuitatem suam.  
Et reliqua.



Sæpius cōringere so  
let, ut una eadēq; res  
in scripturis, duplicē  
uel triplicē habeat signi  
ficationem, sicut est nau  
uis, quę aliquando uexil  
lum sanctę crucis, aliqñ  
sanctā ecclesiā, aliqñ ute  
rum intemeratę uirgi  
nis significat. Vexillū san  
ctę crucis, sicut in alio  
loco legimus: Ascenden  
te Iesu in nauiculā securi

Mat. 8.

sunt eū discipuli eius. Sanctam ecclesiam, sicut in  
Psalmo legitur: Qui descendunt mare in nauic  
ulis, faciētes operationem in aquis multis: Ipsi ui  
derunt opera domini, & mirabilia eius in profun  
do. Uterū, intemeratę uirginis, sicut in hoc loco:  
Ascendens Iesus in nauiculam. Quasi em̄ dominus  
spiritaliter nauem ascendit, quando ex intemera  
te uirginis utero carnem assumpsit. Transfretauit,  
q̄a natus docuit, mirabilia fecit, passus est, & resur  
rexit, sicut p̄ Petrum apostolū dicitur: Qui p̄trans  
iuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a  
diabolo. Venit in ciuitatem suam. i. sanctam eccle  
siā, nō quod ad eam ueniens, suā inuenerit, sed q̄d  
subueniendo eam suam fecerit, in cuius typo, eius

Psa. 106

Actu. 10

ciuitas Nazareth dicta est, quæ munda uel custodi-  
 ra interpretatur, significans ecclesiam, quam sibi  
 elegit non habentem maculam uel rugam: quo-  
 niam dominus mundauit iam ecclesiam suo san-  
 guine, & custodit sua protectione. Cui in amoris  
 canticolo loquitur: Tota pulchra es amica mea, &  
 macula non est in te. Et item: Vna es amica mea,  
 formosa mea, columba mea, immaculata mea.  
 ¶ Quæritur autem, quare Matthæus dicat domi-  
 num uenisse in ciuitatem suam, cum Marcus hoc  
 signum sanitatis non in Nazareth, quæ eius ciui-  
 tas dicta est, sed in Capharnaum fuisse referat. Ad  
 quod breuis & facilis pater responsio, quia uideli-  
 cet Nazareth & Capharnaum in Galilæa regione  
 sitæ sunt. Sicut enim tota Galilæa eius patria est uo-  
 cata, eo quod ibi sit conceptus uel nutritus, unde  
 & Galilæus appellatur, sic non solum Nazareth,  
 sed etiam Capharnaum, quæ in Galilæa est, eius  
 ciuitas intelligi potest. Nihil enim Matthæus &  
 Marcus inter se discordant, cum unus ipsum no-  
 men posuit, alter uero in ciuitatem suam absolute  
 dixit. Vel certe Capharnaum eius ciuitas dici po-  
 test, nõ quod in ea natus uel nutritus sit, sed quod  
 eã miraculis illustrauerit. ¶ Rursum quæritur, quæ-  
 re nauem ascenderit. Nunquid non poterat super  
 undas maris ambulare, qui quondam Petro præ-  
 stitit, ut super undas maris ambularet? Aut non  
 poterat coram suis uestigijs mare siccare, qui co-  
 ram filijs Israel egrediẽtibus ex Aegypto mare ru-  
 brum siccauit, & eos transire per siccum fecit? Po-  
 terat utiq; Sed ideo nauem ascendit, ut omnia quæ  
 hominis sunt a gens, uerum hominem pro nostra  
 salute se uenisse demonstraret.

**Cen. 4.**  
**Can. 5.**  
**& 6.**

**Mar. 2.**

**Mat. 14.**  
**Exo. 14.**

Et ecce offerebāt ei paralyticū in lecto iacentem] Paralyſis non ſolum grauiffima, ſed etiam acutiſſima eſt paſſio, quæ tubito ut hominem attigerit, ad omne opus inutilem efficit. Fit autem dum calor nature, uel ſanguinis in frigus uerſus, naturales meatus uenarum ꝑcludit, ita ut ſi totum hominem attigerit, inualidum reddat: ſi autē quodlibet membrum arripuerit, inſexibile & inutile faciat. Ergo per paralyticum quilibet peccator designatur, qui a calore diuini amoris recedens, in tēpore uel frigore iniquitatis cōuertitur, intantum, ut ſi aliquā grauiffima mala perpetret, nec ea uelut minima pertimeſcat, qualibus ꝑ prophetā dicitur. Sicut frigidam facit cifterna aquam ſuam, ſic frigidam facit ſtultus malitiam ſuam. Lectus in quo paralyticus portabatur, uel corpus hominis peccatis afluētum, uel conſcientiam deſperatam ſignificat. Hi autem qui paralyticum dño ad curandum obtulerunt, doctores & magiſtros eccleſiæ ſignificant. Offerunt enim paralyticum dño ad ſanandum eccleſiaſtici uiri, quando peccant & uerbis corrigunt, & orationibus iuuāt, ut ab ipſis peccatis reſipiſcat. Qui bene Marco narrante quatuor fuiſſe referuntur, quia quatuor ſunt libri ſancti euāgelij, in quibus omnis ꝑdicantium doctrina nō ſolū inſtruitur, ſed etiā roboratur. Sed quia omnis, ꝑ alienas animas ſuſcipit regēdas, nō terrenis deſiderijs inhærerere debet, ſed cæleſtia cōcupiſcere, reſte hi ꝑ paralyticum dño ad curandū obtulerunt. iuxta aliū euāgeliftam, non inuenientes qua parte eū inſerret ꝑæ turba, aſcēderunt ſupra teclū, & ꝑ tegulas ſubmiſerunt eū cū lecto in mediū ante Jeſum. Omnis namꝑ anima quæ a paralyſi ſuæ irā

Iere. 6.

Mar. 4.

quiratis uult liberari, necesse est ut turbas dæmonū & tumultus uitiorum repellat, & sublimia appetat. Tectum quippe ascendit, qui terrena contemnens, cælestia concupiscit. Per tegulas autem in firmum ante dominum ponit, cum humanæ fragilitatis memor, sic contra peccantes irascitur, ut peccantibus compatiatur. Vel certe hi, qui paralyticum domino ad curandum obrulerunt, recte quatuor fuisse memorantur: quæ quatuor sunt principales uirtutes, de quibus in æternæ sapientiæ laude canitur, sobrietas & sapientia, iustitia & uirtus, quas nonnulli uersis nominibus, prudentiam, temperantiam, fortitudinem & iustitiam appellant, quibus (ut ait scriptura) nihil est utilius in uita hominis. Prudentia enim est, deum cognoscere & eius uoluntatē intelligere. Quæ quæ necessaria & utilis sit uirtus, dominus manifestat quum discipulis ait: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qualis est ista prudentia, si fortitudo desit? Scire enim bonum & non posse facere, magis pœna est quam uirtus. Addatur ergo ad prudentiam fortitudo, ut bonum quod per prudentiam cognoscitur, per meriti fortitudinem in fatigabiliter teneatur, scriptura dicente. Viriliter agite, & confortetur cor uestrum omnes qui speratis in domino. Porro fortitudo tunc laudabilis erit, si iusta fuerit: quoniam fortiter agere, & non iuste, non uirtus est, sed uitium. Multi enim fortiter agunt in prelijs, in luctaminibus, in oneribus portandis, sed quia non iuste faciunt, talis fortitudo non uirtuti sed uitio deputatur. Addatur autem ad fortitudinem iustitia, ut quod iustum & rectum est, & opere seruetur, & memoria teneatur, scriptura

**Mat. 10.** *lis ait: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Qualis est ista prudentia, si fortitudo desit? Scire enim bonum & non posse facere, magis pœna est quam uirtus. Addatur ergo ad prudentiam fortitudo, ut bonum quod per prudentiam cognoscitur, per meriti fortitudinem in*

**Psal. 39.** *fatigabiliter teneatur, scriptura dicente. Viriliter agite, & confortetur cor uestrum omnes qui speratis in domino. Porro fortitudo tunc laudabilis erit, si iusta fuerit: quoniam fortiter agere, & non iuste, non uirtus est, sed uitium. Multi enim fortiter agunt in prelijs, in luctaminibus, in oneribus portandis, sed quia non iuste faciunt, talis fortitudo non uirtuti sed uitio deputatur. Addatur autem ad fortitudinem iustitia, ut quod iustum & rectum est, & opere seruetur, & memoria teneatur, scriptura*

monuete: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. **Sapi. 1.**  
 Tunc enim iustitia deo accepta & dulcis erit homi-  
 nibus, si discreta & temperata fuerit, quia bona uir-  
 tus, quæ sine temperantia agitur, frequenter in uiti-  
 um uertitur. Vnde scriptura admonet: Ne sis mul- **Eccī. 7.**  
 tum iustus, neq; plus sapias quam necesse est, ne ob-  
 stupefcas. Addatur ergo ad iustitiã temperantia, i.  
 discretio, quæ (ut ait scriptura) mater ẽ omniũ uir-  
 tutum, ut in ipso bono opere non sit aliquis nimis-  
 us uel superfluous, sed discretus & temperatus quia  
 frequenter uirtus, quæ sine obseruatione agitur, in  
 uitiũ conuertitur. Et quia has quatuor uirtutes  
 habere debet, q̄ suam ac alterius animã deo offer-  
 re uult, recte hi qui paralyticum domino ad sanã  
 dum obtulerunt, quatuor fuisse narrantur. Sed ne  
 cuiquam impossibile uideatur, unũ eundemq; ho-  
 minem has quatuor uirtutes simul habere pos-  
 se, ex multis, qui eas & opere seruauerunt, & ser-  
 mone docuerunt, unum in medium libet deduce-  
 re, uidelicet sanctum Abraam patriarcham. Ipse  
 uere prudentiam habuit, qui cæteris a cultura dei  
 aberrãtib; creatorem suum deum credidit & co- **Psal. 13.**  
 gnouit: quia sicut insipiẽs est, q̄ dicit in corde suo,  
 non est deus: sic prudens qui cognoscit deum. Ad-  
 didit autem ad prudentiam iustitiam, quando illi  
 us præceptis, quem deum cognouit, absq; ulla mo-  
 ra obediuit, exiens de terra sua, & de cognatione  
 sua, & de domo patris sui. Vñ scriptura ipsa próti- **Gen. 15.**  
 nus subiunxit, dicens: Credidit Abraam deo, & re-  
 putatum est illi ad iustitiam. Sed iste tam prudens,  
 tam iustus, quam fortis sit uideamus. Cum enim se  
 nex ex dilecta coniuge unicum filium per repro- **Gen. 22.**  
 missionem accepisset, audiuit a domino: Toll'e fili-

o o

num tuum quem diligis Isaac, & offeres eum mihi in holocaustum super unum montium, quem monstrauero tibi. At ille de nocte consurgens, stravit asinum suum, &c. Et iterum, Cumque die tertio eleuatis oculis uidisset locum procul, dixit pueris suis: Expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad uos. Cumque ad locum perueniens, altare edificasset, & colligatum puerum super struem lignorum imposuisset, non paruum dolorem & angustiam in corde sustinuisse credendus est, non tantum pro morte dilecti filij, sed etiam timens & uerens, ne puer teneræ ætatis, cum dolore mortis saltem contra deum in corde mormuraret, sed magnū dolorem maior fortitudo uincebat. Sed iste tam prudens, tam iustus, tam fortis, quam discretus & temperatus sit, aspiciamus. Cum enim iam iamque immolaturus filium, gladium euaginatū in manibus teneret, audiuit a domino: Ne extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. At ille discretus & temperatus, sicut fuit fortis in immolando, sic factus est, temperatus in relinquendo. Vnde diuina uoce meruit consolari cum prius audiuit: Nunc cognoui quod timeas deū, eo quod non perceris filio tuo unigenito propter me. Benedicens benedicā tibi, & multiplicabo semē tuū sicut stellas cæli. Hęc de operibus Abraę breuiter commemorare libuit, ut intelligamus & nos has quatuor uirtutes habere posse, si eas a deo postulare non pigeat.

Videns autem Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. ]¶ Hic considerandum est, quantum unquam que propria fides adiunget, ubi tantum profuisse

Ibid.

aliena monstratur. Non enim ait euangelista, Vi-  
 dens Iesus fidem illius qui offerebatur, sed illorū  
 qui offerebant. Paralyticus enim quia per se ueni-  
 re non poterat, alienis manibus deportatur, alie-  
 na fide sanatur. Vnde intelligere possumus, quia sunt  
 nonnulli in ecclesia, qui & si suis meritis nō saluā-  
 tur, tamen aliorum intercessione saluari merētur.  
 Vbi non solum domini adoranda potentia osten-  
 ditur, sed eius humilitas ueneranda, atq; p̄ uiribus  
 imitanda declaratur. Multum nanq; distat inter su-  
 perbiam Iudæorum & domini humilitatem. Infir-  
 mum enim, & totis membrorum compagibus dis-  
 solutum, quem scribæ & pharisæi non solum tan-  
 gere, sed etiam uix respicere dignabātur, dominus  
 non solum ab infirmitate curauit, sed etiam filium  
 uocauit, dicens: [Confide fili.] Fides quoq; operi-  
 bus exornata, magna ē uirtus, sicut ait Iacob<sup>o</sup> apo *Iac. 2:*  
 stolus, fides sine operibus mortua est, & sine fide im-  
 possibile est placere deo. Quā dñs discipulis com-  
 mēdans, ait: Si habueritis fidē sicut granū sinapis, *Luc. 17:*  
 &c. Et pulchre filiū appellat, quē a peccatis libera-  
 uit: nimirū ut q̄ ante fuerat filius malitiæ & nequi-  
 tiæ & filius diaboli, post peccata dimissa factus est  
 filius dei. Sequitur: [Remittūtur tibi peccata tua.]  
 ¶ Norandum autē, quia prius eius peccata dimit-  
 tuntur, & sic sanitas corporis tribuitur. Sed cū pri-  
 us peccata dimisit, ut diximus, & postmodum sa-  
 nitatem tribuit, ostendit propter peccata pleriq;  
 hominibus infirmitates accidere. Quinq; em̄ mo-  
 dis diuina flagella homines in præsenti uita tan-  
 gunt. Alij propter solam probationem flagellan-  
 tur, qualis fuit Iob & Tobias, quorum patientia  
 cum sibi ipsis & deo tantummodo esset cognita;

ideo flagellati sunt, ut probatiores fierent, & eorū  
patientia ad aliorum exemplum perueniret. Alij,  
ut curantis uirtus glorificetur, qualis fuit illece-  
cus, de quo cum discipuli dominū interrogassent:

**Iohā. 9.** Rabbi, quis peccauit hic, aut parentes eius, ut ce-  
cus nasceretur? audierunt: Neq; hic peccauit, neq;  
parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in il-  
lo. Alij ob humilitatis custodiam, ne se acceptis  
uirtutibus extollant, flagellantur, quod Paulo apo-

**2. Cor. 12** stolo contigit, qui & de seipso ait: Et ne magnitu-  
do reuelationum extollat me, datus est mihi sti-  
mulus carnis meæ, angelus satanæ, ut me cola-  
phizet. Propter quod ter dominū rogauit, ut dis-  
cederet a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia  
mea. Nam uirtus in infirmitate p̄ficitur. Alij pro-  
pter enormitatem scelerum flagellantur, ut hic pœ-  
nas experiri incipiant, quas in futuro passuri sunt,  
qualis fuit Herodes rex & Nabuchodonosor, An-  
tiochus & Pilatus & cæteri tales. De qbus scriptū

**Ieze. 17.** est: Duplici contritione contere eos domine. Alij  
propter præterita peccata remittenda flagellan-  
tur, qualis fuit ille languidus, qui iacebat ad pisci-  
nam Siloæ, cui post peccata dimissa a domino di-  
ctum est: Ecce sanus factus es, iā amplius noli pec-  
care, ne deterius tibi aliquid contingat. qualis fu-  
it & iste paralyticus, de quo nunc sermo agitur,

**Ioh. 5.** cui non solum peccata dimissa sunt, sed etiam sa-  
nitas corporis restituta est.

Et ecce quidā de scribis dixerunt intra se  
Hic blasphemat. ] Morem suum seruauerunt scri-  
bæ, cum non ob amorem, sed propter inuidiam  
dominum sequebantur, ut eum reprehendere pos-  
sent, sciētes uisibile miraculum quod factum erat,

se negare non posse, q̄ inuisibiliter peccata dimittit, blasphemias dicebant, Vnde secundum Marcum euangelistam indignantes dixisse leguntur: **Quis potest peccata dimittere, nisi solus deus? In Mar. 2.** his uerbis uerum dicebāt, quia nullus peccata, nisi solus deus, dimittere potest, qui ait per prophetā: Ego sum qui deleo iniquitates tuas, ppter me &c. **Quem secut⁹ Psalmista dixit: Secundum multitu Isa. 45.** dinem miserationū tuarum, dele iniquitatē meam. **Psal. 50.** Et, Amplius laua me ab iniquitate mea. Sed multum errabant, cum eum, qui inuisibiliter peccata **Ibid.** dimittere potest, præsentialiter uidentes, deum credere nolebant. Sed quia etiā ingratis beneficium præstare oportet, primum dominus ad cogitationes blasphemantium respondit, ac deinde miraculum sanitatis ostendit. Vnde & subditur:

**Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus uestris? In q̄ facto dominus blasphematoribus suis quod deus credendus esset, manifeste declarauit. Sicut enim solus deus peccata dimittere potest, sic 2. Pa. 6.** solus cogitationes hominū intueri ualet, scriptura dicente: Tu solus deus cogitationes hominum nosti. Et, Homo uidet in facie, deus autem intuetur cor. Ac si diceret: Eadem diuinitatis potentia, qua uestras cogitationes intueor, possum non solū paralytico, sed etiam cunctis pœnitentibus peccata dimittere. Adhuc autem ex uestris cogitationibus intelligite, quid paralyticus iste consequatur.

**Quid est facilius dicere, dimittantur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula? Inter dicere & facere apud homines magna distā**

ria est, apud deum autem nulla, cui dixisse fecisse  
 Psal. 32. est. Dixit enim & facta sunt, mandauit & creata  
 & 148. sunt. Quod autē ei peccata dimissa essent, ipse no-  
 uerat qui dimittebat. Quod uero surgeret & am-  
 bularet, tam ille qui surgebat, quam illi qui surgē-  
 rem uidebant, nouerant. Sed ualde cæci erant scri-  
 bæ & pharisæi, qui per corporale miraculū spiri-  
 tale nō intelligebāt: & cū uidissent paralyticū mū-  
 datum, peccata dimissa esse non credebant. Fit er-  
 go signum corporale, ut probetur spiritale: q̄a se-  
 cundum Apostolum linguæ in signum sunt, non  
 1. Co, 14 fidelibus, sed infidelibus: & ne inuisibiliter peccata  
 animæ dimissa dubitarent, uisibilis sanitas paraly-  
 tico restituta est. Vnde subiungens, dixit:

Vt autem sciatis quoniam filius homi-  
 nis habet potestatem in terra dimittendi pec-  
 cata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum  
 tuum. Idem enim est filius dei, & filius hominis. &  
 idem est filius hominis, qui est filius dei, ex sub-  
 stantijs duabus & una persona. Et q̄a filius homi-  
 nis a filio dei assumptus est, potestatem habet in ter-  
 ra dimittendi peccata, iuxta q̄d ipse alibi ait. Potesta-  
 tem dedit ei pater iudicium facere, q̄a filius hois est. Et  
 iterū: Pater nō iudicat quenquā, sed omne iudicium  
 dedit filio. Frequentius tamen filiū hominis, quam  
 filium dei se maluit appellare, propter uirtutem  
 humilitatis insinuandam. Curato ergo paralyti-  
 co, recte dicitur: [Surge, tolle lectum tuum, &c.]

Et surrexit, & abiit in domum suam.

Iam superius per paralyticum peccatricem ani-  
 mam diximus figurari, cuius lectum carnem pec-  
 catis assuetam diximus esse. Recte namq̄ dicitur,

Ioh. 5.

Ibid.

[Surge.] quia omnis pœnitens, si ueniam uult consequi, primum ab iniquitate, in qua iacuit, resurgere debet, ut est illud Apostoli: Surge q̄ dormis, & Eph. 5.  
 exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Non solum autem paralyticus surgere, sed etiam lectū portare iubetur: quia nō solum anima a peccatis quiescere debet, sed etiam caro quæ uitijs mancipata fuit, uirtutibus seruire debet, iuxta Apostolū: Rom. 6.  
 Ut sicut exhibuit membra sua seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita eadem exhibeat seruire iustitiæ in sanctificationem. Quali em̄ paralyticus lectum portat, quando peccator post cōuersionem carnem suam crucifigit, mortificando membra sua, quæ sunt super terram, & secundum Apostolum, crucifigit carnem suam cum uitijs & Gal. 5.  
 concupiscentijs. Cuius enim anima deum perfecte uidere desiderat, dignum est ut etiam eius caro uirtutibus se subdat, illius exēplo q̄ ait: Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter & caro mea, Et iterū: Psal. 62.  
 In deo sperauit cor meum, & adiutus sum, & reslo 83.  
 tuit caro mea. Et rursus, Cor meum & caro mea 27.  
 exultauerunt in deum ubi. Domus, ad quā post curationem ire iubemur, paradus est. Ad hoc uero conditi fueramus, ut si primus homo non peccasset, absq̄ ulla incorruptione in eo permaneremus, sed quia peccando ab illa recessimus, æquum est, ut pœnitendo ad illam redeamus. Ad quam ardentissimo amore peruenire optabat ille, qui dicebat: Vnam petij a domino, hanc requiram. Et ite- Psal. 26.  
 rum: Introibo in domum tuam domine, adorabo 41.  
 ad templum sanctum tuum, Et rursus: Ingrediar 5.  
 in locum tabernaculi admirabilis usq̄ ad domum dei. In hac domo tanto quisque mansionem in-

ueniet ampliore, quanto in præfenti uita iustius  
 Iohã. 14. uixerit, ipfo dño dicente: In domo patris mei mā  
 siones multæ sunt.

Videntes autem turbæ, timuerunt, & glo  
 rificauerunt deum, qui dedit potestatem ta  
 lem hominibus. ¶ In hoc loco declaratur, quan  
 tum inter doctam malitiam, & sanctam simplicita  
 tem distet. Scribis enim deum blasphemantibus, tur  
 bæ, quæ minus erudita erant, eius opera uidentes,  
 cum timore & admiratione glorificauerunt deū.  
 Sed & hoc quotidie fit in ecclesia in conuersione  
 peccatorum, quia dū quilibet facinorosus publi  
 ce ad deum conuertitur, & per pœnitentiam cura  
 tur, multi in eius conuersione immensam dei pie  
 ratem glorificant. Iuxta superiorem sensum turbæ  
 quæ timent, immundi spiritus intelligi possunt, &  
 uidentes peccatores per domini incarnatione de  
 sua potestate eripi, timore & admiratione cœcussi  
 sunt. Vnde & per obsessum hominẽ loquebantur:

Matt. 8. Qui d nobis & tibi fili dei? uenisti ante tẽpus tor  
 quere nos? Et ut euãgelista ait, Multũ rogabãt eũ  
 Luc. 8. damonia ut non eos mitteret in abyssum.

DOMINICA XXI. POST PEN  
 tecosten, ad Ephesios V.

**F**ratres, Videte quomodo caute ambule  
 tis, non q̄si insipientes, sed ut sapientes. ¶ Al  
 loquitur Apostolus Ephesios, & in illis omnes ho  
 mines hortatur, ut caute & considerate uiuant sic  
 ut sapientes, & nõ sicut insipientes. Fratres autem  
 illos uocat in fide & in societate dilectiõis, q̄a unũ  
 patrem deum omnipotentem habemus, non per  
 naturam, sed per adoptionem. [Videte fratres, [id